Quam de enunciatis hypotheticis in lingua graeca et latina anno 1835 emisimus commentationem primam, in qua de vi et natura cum hypothesis seu condicionis tum modorum verbi exponere instituimus, ea cum hoc argumentum ne iis quidem finibus quos tum animo designaveramus circumscriptum fuerit absolutum, hac data scribendi opportunitate telam quam tum exorsi sumus, ne plane abiiceremus, haud quidem pertexemus, pro viribus tamen texere pergemus, et ita quidem, ut horum enunciatorum diversitatem et varietatem ulterius persequamur, atque symbolam saltem aliquam ad hanc rem conficiendam expediendamque conferamus. Condicionem seu hypothesin intelligimus tale enunciatum quod sola mente et cogitatione ita ponitur, ut eam ipsam ob caussam quod illud est positum, aliud quid necessario consequatur. Notae hypothesis sunt particulae *εἰ*, si, quibus declaratur, prius enunciatum, quod particulam habet praefixam si valeat, posterius enunciatum ratum esse habendum. Modalitatem autem enunciatorum diximus esse rei propositae ad intelligentiam eius qui loquitur, relationem. Quae relatio trifariam dividitur. Potest enim primum aliquid proponi tamquam extra loquentis animum revera exstans. Qui modus est indicativus, quaeque hoc modo sunt elata, in iis praedicatum subiecto revera attribuitur, neque in eo inesse tantum cogitatur. (Durch den Indicativus wird die objective Behauptung ausgedrückt). Qui igitur dicit, *εἰ τοῦτο γίγνεται — ἐγένετο — γενήσεται*, hoc vult: sumo, hoc fieri — factum esse — futurum esse, et ubicunque particulae condicionales *εἰ*, si, cum indicativo construuntur, omnis abest ab orationis conformatione in utramvis partem vergens opinio subiectiva, neque declaratur, credatne is qui loquitur, hypothesin revera exstare, annon credat, sumitur tantum a loquente revera exstare, exprimunturque indicativi modo cum ea quae possunt esse et quae non possunt, tum quae ut sint et quae ne sint, eius qui loquitur plurimum interest. Cui rationi non repugnant loci qualis est Thucyd. 1, 32. *ἐπειδὴ δὲ μείζονι παρασκευῇ ἀπὸ Πελοποννήσου καὶ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος ἐφ' ἡμᾶς ὥρμηνται καὶ ἡμεῖς ἀδύνατοι ὁρῶμεν ὄντες, τῇ οἰκείᾳ μόνον δυνάμει περιγενέσθαι καὶ ἅμα μέγας ὁ κίνδυνος, εἰ ἐσόμεθα ὑπ' αὐτοῖς, ἀνάγκη καὶ ὑμῶν καὶ ἄλλου παντὸς ἐπικουρίας δεῖσθαι.* Cum Hermannus enim ad Viger. p. 834 vim particulae *εἰ* cum indicativo sic constituat, ut locutionem *εἴ τι γίγνεται* sic interpretetur, sumo fieri utrum possit fieri vel futurum sit nec ne, nihil curo, Klossmannus Hermanni rationem impugnans interrogat, quis demonstret Corcyraeos afflicta illa condicione utentes et fortuna frustra de imminenti

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

civitatis sub hostium potestatem redigendae periculo cogitasse? quis credat eos qui ad arcendum periculum ab Atheniensibus auxilium peterent, non curasse, utrum periculum fieri posset, annon posset? Enimvero Corcyraeorum condicio ea erat, ut neque frustra de periculo sibi imminenti cogitarent, neque iuxta haberent, sive periculum fieri posset sive non posset. Immo Klossmannus confudit ipsam Corcyraeorum condicionem, qua ad auxilium implorandum compellerentur et vim enunciationis hypotheticae, in qua, cum vis particulae hypotheticae sit mere logica, nihil inest nisi hoc: sumimus futurum esse ut in Corinthiorum potestatem perveniamus. Et sane is erat Corcyraeorum status ut id sumerent, quod quidem ne fieret, haud dubie magnopere curarunt, nisi enim curassent metuissentque, ad avertendum periculum auxilium non petivissent, videturque Klossmannus vim verborum nihil curo in Hermanni interpretatione nimium pressisse, quae hic quidem non significant nisi hoc: ich sehe davon ab. Neque hoc loco Thucyd. 2, 87. ἡ μὲν γενομένη ναυμαχία, ὦ ἄνδρες Πελοποννήσιοι, εἴ τις ἄρα δι' αὐτὴν ὑμῶν φοβεῖται τὴν μέλλουσαν, οὐχὶ δικαίαν ἔχει τέκμαρσιν τὸ ἔκφοβῆσαι, Brasidas propterea dicendus est ὑποθετικῶς locutus esse, quia his verbis exponere voluerit, quid sibi visum esset. Immo cum extremo cap. 86. commemoretur, Cnemum et Brasidam animadvertisse, militum animos revera metu perculsos fuisse, Brasidas ne militum animos offenderet, hoc loco oratione hypothetica eaque particula ἄρα emollita, quam alio modo conformata maluit uti, cumque dicat εἴ τις ἄρα φοβεῖται, suam declarat sumptionem esse incertam, animique autem incerti significationem non tam hypothesis quam particula ἄρα habet. Neque equidem probare possum Klossmannum, cum p. 17. scribit: „εἰ cum indicativo partes significat quae rem ipsam efficiunt naturamque eius et vim constituunt, atque dum res ipsa existit, etiam adsunt.“ Generali huic potestati tamquam generi primum hanc specialem tamquam partem subiicit, ut indicativo rerum gestarum partes rationesque describantur suamque vir acutissimi iudicii sententiam illustrat loco Demosthenis Olynth. 1, 14. εἰ δ' ὁ μὲν, ὡς ἀεί τι μεῖζον τῶν ὑπαρχόντων δεῖ πράττειν, ἐγνωκὼς ἔσται. At hoc loco non tam gestarum, quam gerendarum rerum rationes describuntur, et enunciato hypothetico est subiectum pro fundamento hoc iudicium categoricum: Philippus quo est animo, strenuam agendi rationem necessariam esse arbitratur. Unde apud Demosthenem nata est enunciatio, quae hanc vim habet: si fiet, ut Philippus in re praesente animo suo obsequatur, illud inde consequetur, ut —. Mente autem addendum est: et haud dubie obsequetur. Addo locum, quem in Comment. I. p. 6. attigi, Thuc. 3, 42. τούς τε λόγους ὅστις διαμάχεται μὴ διδασκάλους τῶν πραγμάτων γίγνεσθαι, ἢ ἀξύνετός ἐστιν ἢ ἰδίᾳ τι αὐτῷ διαφέρει, ἀξύνετος μέν, εἰ ἄλλῳ τινὶ ἡγεῖται περὶ τοῦ μέλλοντος δυνατὸν εἶναι καὶ μὴ ἐμφανοῦς φράσαι, διαφέρει δ' αὐτῷ, εἰ βουλόμενός τι αἰσχρὸν πεῖσαι εὖ μὲν εἰπεῖν οὐκ ἂν ἡγεῖται περὶ τοῦ μὴ καλοῦ δύνασθαι, εὖ δὲ διαβαλὼν ἐκπλῆξαι ἂν τούς τε ἀντεροῦντας καὶ τοὺς ἀκουσομένους. Cleon ponit esse qui orationibus vim docendi in rebus gerendis detrahant, quos bifariam dividit, alteros esse imperitos, alteros sui commodi studiosos; orationem autem ita conformavit, ut a propositione maiore, quam dialectici vocant, hypothetico-dilemmatica

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exordiretur, in qua inest quidem disiunctio, neque tamen ita, ut inde sit concludendum, quodvis enunciatum hypotheticum ad disiunctivum iudicium esse revocandum.

Tempora et hypotheses indicativo expressae eandem ubique vim habent, ac si quae hypotheses diversis temporibus sunt expressae, haec diversitas non valet ad vim enunciatorum indicativo prolatorum mutandam, sed eo tantum pertinet, ut declaretur, hypotheses et sua quidem vi temporibus diversis valuisse. Modorum vero diversitas ad hypothesis cuiusque vim temperandam variandamque pertinet, estque enunciatorum hypotheticorum diversitas tam multiplex, quam sunt diversi modi, qui hypothesis sive protasis exprimendae in lingua graeca et latina suppetunt. Cum enim hypothesis in protasi expressa pro caussa ponatur, unde effectus in apodosi declaratus suspendatur, omnem horum enunciatorum numerum non ex apodosis, sed ex protasis diversitate constituendum esse intelligitur; ubique enim ex caussae diversitate diversitas effectus suspensa est.

Etzlerus in libro qui inscribitur: Spracherörterungen, p. 215 sqq. tria enunciatorum condicionalium genera distinguit. Posse enim ait condicionem (sumptionem, hypothesin) referri aut ad eas res, quae datae sint ut exstantes sive ut tales quae fuerint (quod genus nominat sumptionem dati, Voraussetzung), aut ad eas quae futurae esse exspectantur (quod genus nominat sumptiones dandi, Fallsetzung) aut denique ad eas res quae ponuntur ut tales quae esse possint, remota omni significatione, qua exprimatur eas aut nunc esse aut aliquando futuras esse (quod genus nominat sumptionem ficti, dahin stellende Annahme). Hanc Etzleri distinctionem suam fecit Gernhardus in Commentationum grammaticarum partic. IX. edita Jenae 1829. et repetita in Opusculis p. 212—236, quae inscribitur: de periodo conditionali Latinorum. Is igitur p. 216. singulorum generum naturam ita definit: „Primo sumtionis genere (sumtione dati) ea continentur, quae data sunt sive concessa alteri sive a te qui sumis iam defensa.“ Et p. 217. Alterum genus sumtionis (sumtio dandi) ea continet quae universe evenire solent et, quia saepe accidunt, exspectantur, sic quidem, ut ante quam fiant, prudentia suadeat quaerere, quid si fiant secuturum faciendumve sit. De tertio genere p. 220. „si haec sumtio ficti appellatur, illud primum tenendum est, quicquid non esse vel fuisse intelligens cogites, id fingi dicendum esse latiori quidem vi vocabuli. Licet enim ultra fines rerum quae sunt vel, quia saepe fiunt, exspectantur, vel cum nullam in se repugnantiam, habeant, videntur evenire posse, progredi et aliquem rerum statum mente et imaginandi vi concipere, quod ipsum est fingere: resque ficta poeticam certe habet veritatem et consequentiam vel effectum, cuius quidem ostendendi caussa res ficta denique sumitur.“ In hac quidem omni distinctione ratione logica sive formali, quae in hoc disputandi genere sola est tenenda, derelicta transitionem factam esse videmus ad rationem materialem sive ad res ipsas, quae oratione possunt exprimi significarique, quarum infinita occurrit diversitas, quam explanare eius est qui singulos scriptorum locos interpretatur, non grammatici, qui generales loquendi leges rationesque aperit et exponit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iam proferamus locos nonnullos scriptorum graecorum et latinorum pro modorum diversitate distinctos.

Ac primum quidem genus enunciatorum hypotheticorum illud est, in quo et in protasi et in apodosi ponitur indicativus cuiusvis temporis.

Pindar. Nem. X, 155 sqq.

εἰ μὲν θανατόν γε φυγὼν καὶ
γῆρας ἀπεχθόμενον
αὐτὸς Οὔλυμπον θέλεις οἰκεῖν ἐμοὶ
σύν τ' Ἀθαναίᾳ κελαινεγχεῖ τ' Ἄρει
ἔστι σοι μὲν τῶν λάχος.

Plat. Apol. p. 123. Bek. εἰ γὰρ δὴ ἔγωγε τῶν νεωτέρων τοὺς μὲν διαφθείρω, τοὺς δὲ διέφθαρκα, χρῆν δή που — αὐτοὺς ἀναβαίνοντας ἐμοῦ κατηγορεῖν. Plat. Phaedr. p. 8. αἷς εἴ τις ἀπιστῶν προσβιβᾷ —, πολλῆς αὐτῷ σχολῆς δεήσει. Thuc. 3, 65. εἰ μὲν γὰρ ἡμεῖς αὐτοὶ πρός τε τὴν πόλιν ἐλθόντες ἐμαχόμεθα καὶ τὴν γῆν ἐδῃοῦμεν ὡς πολέμιοι, ἀδικοῦμεν· εἰ δὲ ἄνδρες ὑμῶν οἱ πρῶτοι καὶ χρήμασι καὶ γένει βουλόμενοι τῆς μὲν ἔξω ξυμμαχίας ὑμᾶς παῦσαι, ἐς δὲ τὰ κοινὰ τῶν πάντων Βοιωτῶν πάτρια καταστῆσαι ἐπεκαλέσαντο ἑκόντες, τί αδικοῦμεν; Lysias funebr. orat. p. 180, 33. εἰδότες δ' ὅτι, εἰ μὲν κατὰ γῆν τοῖς βαρβάροις ἀπαντήσονται, ἐπιπλεύσαντες — ἐρήμην τὴν πόλιν λήψονται; Demosth. Olynth. II. 23, 20; (Reut. p. 117. Riid. p. 103.) εἰ δέ τι πταίσει, τότ' ἀκριβῶς αὐτοῦ ταῦτ' ἐξεταστήσεται. Vulgata scriptura est πταίσειε, quam adverbium τότε tueri mihi videtur, nam τότε hoc significat: ἐάν τι πταίσῃ, totusque locus sic accipiendus: si quam cladem accipiat, tum i. e. quo facto, clade accepta examinabitur.

Cic. Acad. II. 41, 127. si veri aliquid occurrit, — humanissima completur animus voluptate. De fin. IV, 13. 35. quod est munus, quod opus sapientiae? quid est quod ab ea absolvi et perfici debeat? si nihil in eo quod perficiendum est, praeter motum ingenii quendam, id est, rationem, necesse est, huic ultimum esse ex virtute vitam fingere, rationis enim perfectio est virtus. Ibid. II, 32. 105. nec enim absolvi beata vita sapientis neque ad exitum perduci poterit, si prima quaeque bene ab eo consulta atque facta ipsius oblivione obruentur. Futurum obruentur pro vulgata scriptura obruerentur a Lambino ex coniectura repositum posthac in codicibus est repertum. Equidem tamen obruerentur abiiciendum esse mihi non persuadeo, quo retento iam verbi flexione declaratur, non futurum esse ut illa facta atque consulta sapientis oblivione obruantur, hinc etiam absolvi beatam vitam sapientis. Eiusdem generis est locus Ciceronis de Legg. I, 20. 54. qui e cdd. recte sic scribitur: probe quidem sentis, si re ac non verbis dissiderent; Ernesti e vett. cdd. dissident scripsit, cui recte adversatus est Bakius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Progredimur ad alterum genus, quod habet in protasi optativum, in apodosi indicativum, indicativum cum ἄν et optativum cum ἄν.

Optativum definivimus illam verbi flexionem, qua praedicatum subiecto competere animo fingimus, sive qua exprimuntur ea quae esse cogitantur. — Nomina possibilitatis et incertitudinis cum ad vim modorum optativi et coniunctivi declarandam adhibentur, vel alienum quiddam vel nimis late patens admiscent. Possibilitatis certe notio vim atque naturam optativi minime adsequitur; possibile enim dicimus non quod remota significatione, utrum quid sit, annon sit in universum cogitatur, sed quod ita cogitatur, ut secum ipsum non pugnet. At quae optativo efferuntur, ea num cogitentur fieri posse annon fieri id optativo non significatur, quamquam ceteroquin eius qui loquitur, aut eorum de quibus agitur plurimum interesse potest, ut res de qua sermo est, aut sit aut non sit. Patrius sermo ad optativi vim exprimendam praeter inflexam verbi formam suppeditat verba auxiliaria können, dürfen, mögen, nonnunquam cum adiuncta particula wol, in apodosi quidem enunciati hypothetici, ubi optativo particula ἄν additur, velut εἰ τοῦτο λέγοις, ἁμαρτάνοις ἄν, si hoc dicas, pecces, wenn du dieses sagtest, möchtest du wol irren; quae germanica tamen cum graecis comparata atiquantulum tangent. Quamquam negari non potest, haec patrii sermonis verba ad optativi vim declarandam perquam apta esse, ut quae verbi actionem propriam, quae sine his verbis auxiliaribus ut revera se exserens exprimeretur, ad aliud quid, quod tantummodo cogitatur, libertatem dico, revocent, hancque relationem ut possibilem per varios gradus exprimant. Multum tamen etiam hoc in genere sermoni graeco cedit patrius sermo, utpote qui optativam, ut ita dicam, cuiusque sententiae relationem, cui graece exprimendae sola verbi flexio sufficit, aliis in auxilium vocatis verbis, quibus et ipsis forma optativa est induenda, exprimere cogatur; quid quod patrius sermo ad haec auxilia ablegatus optativi modi fines egreditur inferendo in dictionem momento quodam, quod in solo Graecorum modo optativo non inest. Atque hic quoque intelligitur graeca scripta, si verbi modos respexeris, non ita posse germanice verti, ut versio germanica graeco exemplari plane respondeat.

De optativo graeco cum disputatur, par est, ut etiam particula ἄν, frequentissima optativi comes, paucis certe attingatur. Atque Rostius quidem in Grammatica graeca p. 579. sq. particulae ἄν assignat vim commonefaciendi, ut res, de qua agatur, condicionibus quibusdam adstricta intelligatur (sie gibt dem Ausdrucke, welchem sie beigefügt wird, den Nebenbegriff der Bedingtheit); eam igitur addi, ubicunque is, qui loquitur, rem ut incertam, dubiam, difficilem, verisimilem, ex fortuitis suspensam sit elaturus. At vere hoc a Rostio affirmari ita persuadere mihi non possum, ut huic rationi illud ipsum, quod Rostius ad eam tuendam maxime urget, quod frequentissimus particulae sit usus in enunciatis hypotheticis, eidem praecipue adversari mihi videatur. Nam si hoc ita esset, hypothesis notatio in enunciatis hypotheticis aperte duplicaretur et sententiae integritate non laesa particula ἄν omitti posset. Quamobrem equidem amplector rationem Bäumleinii, qui dicit: der Optativ mit ἄν ist nicht mehr reiner Gedanke, es

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

wird durch ihn ein Gedachtes als wirklich gesetzt, d. h. eine subjective Behauptung wird ausgedrückt. Quod sic intelligendum esse arbitror, ut is, qui ita loquatur, pronunciatam sententiam sibi velit videri verisimilem, suam hanc esse opinionem. Ergo si quis dicit εἰ τοῦτο λέγοις, ἁμαρτάνοις ἄν, is non simpliciter fidenterque alterum errare affirmat, sed cum moderatione quadam fidentiam affirmandi inhibens videri sibi alterum errare pronunciat, et germanice illa verba sic vertere possis: sagtest du dieses, so möchtest du wol irren. — His consentit Scheuerlein, in commentatione praemissa programmati Halensi 1842. über den Charakter des Modus in der griechischen Sprache p. 61. ἄν ist das logische Zeichen der concreten Erscheinung. — Es bezieht die Objecte der Rede auf die Aussenwelt, trennt sie vom Subjecte, so dass sie nicht mehr Inhalt von diesem allein sind und macht den Begriff zur Erscheinung. — p. 16. Durch den Zusatz von ἄν, welches die Partikel des Werdens und Eintretens, des Vorkommens in der Aussenwelt ist, wird dem bloss im Innern des Subjectes begründeten, vorgestellten Sein der concrete Charakter der zutreffenden Vorstellung, begründeten Meinung, des zulässigen Urtheils, der wahrscheinlichen Thatsache (in so fern von einem einzelnen Factum die Rede ist) verliehen.

Cum quae optantur ab aliquo, non sint, certe ab optante non possideantur, sed mente tantum et cogitatione esse fingantur, recte in iis oratione exprimendis usurpatur modus optativus. Si quis autem optat, ut re aliqua potiatur, is non cogitat, fierine possit, ea ut potiatur, annon possit. Itaque etiam, cum quae fieri non possunt optantur, praesenti tempori locus est, neque recte statuitur, praesenti tempore tantummodo optata, quae contingere possint, exprimi. Velut εἴην θεός, utinam sim deus, et Virgil. Aen. 8, 560. O mihi praeteritos referat si Juppiter annos; de quo loco mira disputavit Hoffmeister in libro: Erörterung der Grundsätze der Sprachlehre. 2. Bändchen. p. 159. — Sed non possunt optata nisi ὑποθετικῶς pronunciari, et ita quidem, ut modo protasis omittatur, modo apodosis. Protasis est supplenda in formulis ἐβουλόμην ἄν, ἔθελον ἄν, vellem, nollem, mallem, voluisset, noluisset, maluisset, quod loquendi genus usurpatur, ut Disseni verbis utar (p. 52), cum agitur de iis, quae quis optaturus fuisset, si aliud quidquam esset vel fuisset. Imperfectum adhibetur, quia optatio ad tempus praeteritum refertur, et quod quis optat, ut praeterito tempore fuerit, id non fuit. Apodosis supplenda est in locutionibus optativis, quae praefixas habent particulas εἰ, εἰ γάρ, εἴθε, et in illo dicendi modo, qui ad optandum adhibitus, strictius vocatur optativus. Addita autem est apodosis Soph. Aiac. 550. ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος· καὶ γένοι' ἂν οὐ κακός. Ut hoc Sophoclis loco particula optandi abest, ita eadem nonnunquam etiam apud Latinos desideratur, ut Catull. 2, 9. tecum ludere sicut ipsa possem. Particula utinam poterat addi. De illis formis nobiscum sentit Dissen. spec. 1. p. 30., dissentit Thiersch. gram. gr. p. 603 sq. Etiam in loco Lucian. dial. meretr. 4. ἀλλ' εἴ τινα εὕροιμι, ὦ Βακχί, γραῦν, ὡς ἔφην· ἀποσώσοι γὰρ ἂν φανεῖσα —, ultima ἀπῶσοι κτλ. pro apodosi sunt. Iliad. 24, 74. ἀλλ' εἴ τις καλέσειε θεῶν Θέτιν. Virg. Aen. 6, 187. Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat. Pers. 2, 10 sqq. O si sub rastro crepet argenti

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mihi seria, dextro Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres impello, expungam! Ruddiman. II. p. 313 sq. Ramshorn. gram. lat. p. 877. — Iliad. 17, 561. εἰ γὰρ Ἀθήνη δοίη κάρτος ἐμοί. 2, 371. αἰ γὰρ — τοιοῦτοι δέκα μοι — εἶεν. Odyss. 2, 33. εἴθε οἱ αὐτῷ Ζεὺς ἀγαθὸν τελέσειεν.

In protasi optativus, in apodosi indicativus.

Thucyd. 2, 39. εἰ ῥαθυμίᾳ μᾶλλον ἢ πόνων μελέτῃ καὶ μὴ μετὰ νόμων τὸ πλεῖον ἢ τρόπων ἀνδρείας ἐθέλοιμεν κινδυνεύειν, περιγίγνεται ἡμῖν τοῖς μέλλουσιν ἀλγεινοῖς μὴ προκάμνειν.

Pindar. Isthm. 2, 47—50.

οὐ γὰρ πάγος οὐδὲ προσάντης
ἁ κέλευθος γίνεται,
εἴ τις εὐδόξων ἐς ἀν-
δρῶν ἄγοι τιμὰς Ἑλικωνιάδων.

Eurip. Or. 1332.

εἰ μὲν γὰρ εἰς γυναῖκα σωφρονεστέραν
ξίφος μεθεῖμεν, δυσκλεὴς ἂν φόνος.

In apodosi indicativus cum particula ἄν. Thuc. 7, 71. εἰ μέν τινες ἴδοιέν πη τοὺς σφετέρους ἐπικρατοῦντας, ἀνεθάρσησαν ἄν —. Plat. Alcib. p. 111. E. εἰ βουληθείημεν εἰδέναι μὴ μόνον, ποῖοι ἄνθρωποί εἰσιν, ἀλλ' ὁποῖοι ὑγιεινοὶ ἢ νοσώδεις, ἆρα ἱκανοὶ ἂν ἡμῖν ἦσαν διδάσκαλοι οἱ πολλοί;

In protasi εἰ ἂν cum optativo, tantum de praesenti et futuro. Thuc. 4, 19. καὶ ἄμεινον ἡγούμενοι ἀμφοτέροις μὴ διακινδυνεύεσθαι, εἴτε βίᾳ διαφύγοιεν, παρατυχούσης τινός σωτηρίας, εἴτε καὶ ἐκπολιορκηθέντες μᾶλλον ἂν χειρωθεῖεν.

Eurip. Androm. 771.

εἴ τι γὰρ ἂν πάσχοι τις ἀμήχανον,
ἀλκᾶς οὐ σπάνις εὐγενέτας.

Apud Homerum saepe εἴ κε in protasi. Cf. Dissen. de temporib. p. 55. Odyss. 8, 352.

πῶς ἂν ἐγώ σε δέοιμι μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
εἴκεν Ἄρης οἴχοιτο χρέος καὶ δεσμὸν ἀλύξας;

Odyss. 7, 315. Iliad. I, 95. 4, 549.

In protasi optativus, in apodosi optativus cum ἄν. Plat. Gorg. p. 262. Heind. καὶ εἰ διὰ ταύτην τὴν ἀδυναμίαν ἀποθνήσκοιμι, ἀγανακτοίην ἄν. Phaedr. 59. Ast. p. 51. εἰ δὲ τοῦτο εὕροιμεν αὐτοί, ἆρά γε ἂν ἔθ' ἡμῖν μέλοι τι τῶν ἀνθρωπίνων δοξασμάτων; Protag. p. 311. D. εἰ οὖν τις ἡμᾶς περὶ ταῦτα οὕτω σφόδρα σπουδάζοντας ἔροιτο, — τί ἂν αὐτῷ ἀποκριναίμεθα; Iliad. 16. 625. εἰ καὶ ἐγώ σε βάλοιμι —, αἶψά κε — εὖχος ἐμοὶ δοίης.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

LATINA.

Cic. Tusc. V. §. 82. a te impetrare libenter velim, nisi molestum sit. Off. 1. §. 6. hae disciplinae si sibi consentaneae esse velint, de officio nihil queant dicere. Tusc. V. §. 113. summa paupertas tolerabilis sit, si liceat, quod quibusdam Graecis quotidie. Ad fam. 11, 21. sim impudens, si plus postulem, quam homini a rerum natura tribui potest. Liv. 22, 59. si conferam nos cum illis, iniuriam nomini Romano faciam.

Progredimur ad tertium genus, quod in protasi habet ἐὰν cum coniunctivo.

Coniunctivum eum diximus esse modum, quo declaretur, necessitatem esse, quae praedicatum subiecto, cui non competat, attribuere cogat; item, coniunctivum coniunctim continere indicativum et optativum. Et optativi quidem partes eo sustinere, quod hanc vim habeat, ut cogitando tantum praedicatum subiecto competere fingatur, non autem, ut praedicatum tamquam revera subiecto competens efferatur, indicativi autem vim eo exprimere, quod declaret, non cogitando tantum fingi subiecto praedicatum competere, sed necesse esse ut ei revera attribuatur. Coniunctivi vis exprimitur germanico vocabulo sollen. Itaque particula ἐάν, ἤν, ἄν hanc vim habet: sumo necessarium esse, ut hoc illudve esse incipiat, existat, vel, ut praedicatum subiecto attribuatur; quod utrum revera futurum sit annon, nescio, sed experientia cognoscam. Hoc quod postremum posui experientia cognoscam, inest in particula ἄν, cuius de vi supra est disputatum. Non multum ab his abludunt ea, quae disputat Nägelsbach in excursu VII adiuncto libro qui inscribitur: Anmerkungen zur Ilias, p. 237. „In einem Satze mit ἐάν ist beides enthalten, dass die Annahme a) noch nicht die Sphäre der Wirklichkeit, aber auch b) nicht mehr blos der Sphaere der Vorstellung angehört. Die in einer Hypothese dieser Art enthaltene Einigung des Seins und Nichtseins entspricht dem logischen Begriffe des Werdens. Denn was noch nicht ist, aber doch schon auch ist, das wird. Wenn der Gesetzgeber sagt: ἐάν τις κτείνῃ, ἀποθανεῖται, so nimmt er nicht an, dass Einer in dem Augenblicke wirklich einen Todtschlag begeht; aber ein Todtschlag ist für ihn auch keine Sache der blossen Vorstellung, der leeren Möglichkeit, sondern er denkt sich eine solche That als auf dem Wege zur Wirklichkeit begriffen, und eben so viel Theil an dieser, als an der Nichtwirklichkeit habend.“ Hanc tamen coniunctivi vim declarandi rationem equidem non omni ex parte probare possum, quippe qua illud ipsum, in quo coniunctivi vis posita est, adeo non proferatur et appareat, ut plane delitescat. Verum quidem est, in coniunctivo coniunctim inesse vim et eius quod est et eius quod non est; non tamen vere dici videtur, hoc esse et non esse coniunctim cogitari in verbo werden, fieri, existere; quod enim fieri, werden dicitur, id iam sui aliqua parte est, esse incipit, sique coniunctivus per se ipse exprimeret id quod fit, hoc ipsum verbum fieri per se coniunctivi vi esset instructum, ut quicquid fieret, coniunctivo esset efferendum. Ut igitur Naegelsbachius illud ipsum in quo coniunctivi vis cernitur, non videtur declarasse, ita nos illud non esse, quod sane

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inest in coniunctivo, in eo ponimus quod coniunctivo praedicatum subiecto non attribuitur, esse autem in eo, quod necessitas quaedam cogit, ut attribuatur. Atque hoc utrumque in eo inest, quod nos dicimus: es soll sein. Bäumlein: der Conjunctiv drückt aus die Handlung im Streben zur Wirklichkeit — er steht, wenn etwas geschehen soll. Necessitas autem quae cogit, inesse potest cum in voluntate eius qui loquitur aliorumve, tum in vi rerum extra positarum. Igitur locutio ἐάν τις κτάνῃ, hanc vim habet: Es soll einer unter gegebenen Umständen getödtet haben; utrum revera interfecerit, necne, nescio, sed experientia cognoscam. Hic necessitas inest in voluntate vel mente eius qui loquitur. Klossmannus de huius locutionis vi in commentatione de ratione atque usu enunciatorum hypotheticorum linguae graecae. Vratislaviae, 1830. p. 23. ita disserit: „Coniunctivus hypotheticus significat rem futuram, quae a praesenti dependet et ea exacta efficitur. Atque ad hanc ita refertur, ut quod in genere obtinuisse scimus, in certum eum rerum statum transductum probabili coniectura effici posse statuamus; quamquam extra omnem dubitationem res posita non videtur, ita ut iudicium disiunctivum obtineat: aut erit res aut non erit.“ Et p. 17. „qui, dum bellum feliciter geritur, dicit: si pax gloriosa sequetur, is utitur particula ἐάν cum coniunctivo, quia de pace gloriosa, dum bellum geritur, sermo esse non potest, neque natura ac ratio belli ipsius definitur.“ Ex hac igitur Klossmanni ratione res ita se habet: experientia edocti scimus, bellum feliciter gestum gloriosam pacem habere consequentem. Iam ex hac velut propositione maiori cum probabilitate coniicimus illud, quod in genere obtinet, etiam post feliciter confectum praesens bellum esse futurum, quamquam revera ita futurum esse extra omnem dubitationem positum non est. Est igitur hoc iudicium disiunctivum: gloriosa pax aut erit aut non erit. Nos quidem rem et magis perspicue et minus operose expediri arbitramur ita, ut enunciatio ἐὰν εἰρήνη ἔνδοξος γένηται sic intelligatur: nach unsrer Annahme soll ein ruhmvoller Friede erfolgt sein, der jetzt noch nicht erfolgt ist; ob er erfolgen wird oder nicht, wird die Erfahrung lehren. Igitur ut rem paucis complectamur, particula ἐάν construitur cum coniunctivo et praesentis et aoristi, atque utraque orationis forma declaratur, id quod pro condicione positum est, nondum evenisse; praesentis coniunctivo utuntur Graeci, ubi condicio et condicionatum in idem fere temporis momentum incidunt, aoristi, cum significatur, condicionatum non prius ad effectum perductum iri, quam condicio, quae nunc quidem est futura, effectum habuerit, utque εἰ ἄν cum optativo tantum de praesenti et futuro, ita ἐάν cum coniunctivo tantum de futuro usurpatur.

Thucyd. I, 70. ἢν δ' ἄρα του καὶ πεῖρα σφαλῶσιν, ἀντελπίσαντες ἄλλα ἐπλήρωσαν τὴν χρείαν. Quod si forte rei alicuius tentatae conatus eos fefellerit, nova aliarum rerum spe concepta, id quod opus est explere solent. (Quod pro re nata semper fit vel fieri solet, id Graeci tamquam semel factum aoristo exprimunt.)

Isocr. Areop. p. 142. A. B. ἀλλ' ἐὰν μὲν κατορθώσωσι περί τινας πράξεις

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἢ διὰ τύχην ἢ δι' ἀνδρὸς ἀρετὴν, μικρὸν διαλιπόντες πάλιν εἰς τὰς αὐτὰς ἀπορίας κατέστησαν.

Soph. O. R. 836 (840), ἢν γὰρ εὑρεθῇ λέγων σοὶ ταῦτ', ἔγωγ' ἂν ἐκπεφευγοίην πάθος.

Odyss. λ, 105.

ἀλλ' ἔτι μέν κε καὶ ὧς κακά περ πάσχοντες ἵκοισθε, αἴ κ' ἐθέλῃς.

Plat. Lach. 251. (p. 5. Engelh.) εἰσὶ γάρ τινες, οἳ τῶν τοιούτων καταγελῶσιν, καὶ ἐάν τις αὐτοῖς συμβουλεύσηται, οὐκ ἂν εἴποιεν ἃ νοοῦσιν.

Cic. Acad. II. 38. 121. quis enim potest, cum existimet se curari a deo, non et dies et noctes numen horrere? et si quid adversi acciderit (quod cui non accidit?) extimescere, ne id iure evenerit?

De orat. I, 30. 135. sed profecto studia nihil prosunt, nisi illud, quod eo quo intendas ferat, cognoris.

Tuscul. I. 103. Veruntamen, Crito, si me assequi potueris, ubi tibi videbitur, sepelito.

Tuscul. II, 3. 8. ego quoque didicerim lubentius, si quid attuleris.

Acad. II, 16. 49. huc si perveneris, meum vitium fuerit.

Liv. I, 28. audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne iam documentum mortalibus dedero.

Cic. pro Arch. §. 13. quis tandem me reprehendat, si — tantum temporis mihi egomet ad haec studia recolenda sumpsero.

Quartum genus enunciatorum hypotheticorum.

Receptum hoc est in lingua Graecorum, ut, cum quis declarare vult, aliquid futurum fuisse, si hoc illudve factum esset, factum autem illud non esse, quia posita condicio cessaverit, in apodosi ponant praeteritum cum particula ἄν, in protasi imperfectum vel aoristum indicativi. Sed hic dicendi modus non solis Graecis est proprius, quamquam in eorum sermone unice regnat, cum qui loquuntur illud ipsum, quod significavi, declarare volunt, in aliis autem linguis alius loquendi modus suppetit. Atque Hoffmeister II. p. 159 sqq. in eo quod sermo humanus illud quod fieri non possit quodque non fiat, praeteritis temporibus exprimat, admirabilem quandam ingenii humani sollertiam animadvertit; praeterita enim quae sint, naturae lege a sermone tamquam impossibilia et non exstantia figurate repraesentari; praeterita enim, ut quae revocari nequeant, quippe praesentibus et futuris opposita, imaginem esse impossibilium et non exstantium. Ego vero in hac orationis conformatione non admirabilem quandam, certe non magis admirabilem quam in aliarum verbi deflexionum usu sollertiam animadverto. Ceterum impossibilitatis notionem ab hoc temporis praeteriti usu, ut qui tantummodo ad id, quod non est, aut factum non est, pertineat, plane removendam esse arbitror. Etenim cum hypothesis id sit, quod cogitando ita ponitur et hac vi instruitur, ut eam ipsam ob caussam, quod hoc ponitur, aliud quid necessario consequatur: in hoc genere, de quo hic agitur, si, quia posita condicio cessaverit, aliquid non esse factum ὑποθετικῶς efferendum est, non potest cessans illa condicio nisi praeterito tempore exprimi, et quidem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

imperfecto, quando is qui loquitur, cogitatione revertitur in illud tempus, quo condicio ut praesens cogitari potest. Non autem factum esse illud, quod in apodosi praeterito tempore expressum est, videtur etiam declarari addita particula ἄν, quae cum item in alio enunciatorum hypotheticorum genere, quod in protasi habet particulam ἐάν, inseratur, hic huius particulae usus monstrare videtur, propriam ei esse hanc vim, ut propositorum confirmationem ab experientia exigat, verissimeque Hermannus ad Viger. p. 834. verba ἐὰν τοῦτο γένηται ita interpretatur: sumo hoc fieri et potest omnino fieri, sed utrum vere futurum sit necne, id nescio, verum experientia cognoscam. Ubi igitur particula ἐὰν usurpatur, sermo est de re futura, quae utrum futura sit necne, experientia cognoscitur; item ubi ἄν in apodosi cum indicativo temporis praeteriti usurpatur, res praeterita significatur, quam item factam non esse experientia cognoscitur. Possunt autem haec enunciata etiam pro enthymematibus haberi et ita expediri: Si illud factum est, etiam hoc factum est; atqui illud factum non est; ergo nec hoc factum est. Cuiusmodi quidem enunciata ne cum enunciatis alius generis confunderentur, necesse habitum est, ut ἄν in apodosi adderetur.

Plutarch. Apophth. reg. et imp. p. 155. Hutt. εἰ τοῦτον συνειδέναι μοι τὸν χιτώνισκον ἐνόμιζον, ἀποδυσάμενος ἂν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πῦρ ἐπέθηκα.

Demosth. de cor. p. 202. 9. εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ αὐτοῦ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἂν ἀπελογούμην.

Demosth. Olynth. III. §. 17. (Rüd. p. 130) εἰ δὲ τοῦτ' ἐποίει ἕκαστος, ἐνίκων ἄν.

Thuc. II, 77. πνεῦμά τε εἰ ἐπεγένετο αὐτῇ ἐπίφορον, ὅπερ καὶ ἤλπιζον οἱ ἐναντίοι, οὐκ ἂν διέφυγον.

Iliad. 5, 679.

καὶ νύ κ' ἔτι πλέονας Λυκίων κτάνε δῖος Ὀδυσσεύς,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε μέγας κορυθαίολος Ἕκτωρ.

Pro εἰ μὴ est ἀλλὰ Odyss. 12, 71. 72.

καὶ νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,
ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἰήσων.

Demosth. Phil. I. init. εἰ μὲν περὶ καινοῦ τινος πράγματος προυτίθετο — λέγειν, ἐπισχὼν ἂν ἕως οἱ πλεῖστοι τῶν εἰωθότων ἀπεφήναντο, εἰ μὲν ἤρεσκέ τί μοι τῶν ὑπὸ τούτων ῥηθέντων, ἡσυχίαν ἂν ἦγον, εἰ δὲ μή, τότ' ἂν καὶ αὐτὸς ἐπειρώμην, ἃ γιγνώσκω, λέγειν. Orator verbis εἰ προυτίθετο mente redit in tempus ad arbitrium sumptum, quo ipso illud si proponeretur, quod quidem propositum non est, futurum fuisset, ut proponeretur. Quamobrem Bremi certe non satis exacte scripsit: „si adhibetur imperfectum, res in id tempus revocatur, quo fiebat.“ Neque illa imperfecti vis, qua ad actionem continuatam vel saepius repetitam refertur, in hunc locum cadit. Loci ipsius sententia haec est: non propositum est, ut de re nova disceptaretur, attinet autem, ut etiam nunc de rebus, de quibus vulgares oratores saepe verba fecerunt, disputetur, quamobrem ego non quievi et primus ad dicendum surrexi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Subiungo locos aliquot Homericos, qui in apodosi non indicativum, sed optativum cum particula ἄν habent.

Iliad. 2, 80. εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπεν,
ψεῦδός κε φαῖμεν.

— 5, 311. καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο ἄναξ ἀνδρῶν Αἰνείας,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη.

— 17, 70. ἔνθα κε δεῖα φέροι κλυτὰ τεύχεα Παντοΐδαο
Ἀτρείδης, εἰ μή οἱ ἀγάσσατο Φοῖβος Ἀπόλλων.

Odyss. I, 236. ἐπεὶ οὔ κε θανόντι περ ὧδ' ἀκαχοίμην,
εἰ μετὰ οἷς ἑτάροισι δάμη Τρώων ἐνὶ δήμῳ.

In his locis oratio sic est conformata, ut eorum qui audiunt animus a poeta e tempore praeterito, quod in protasi est, in tempus praesens, quo res agitur, adducatur: wenn ein anderer erzählt hätte, möchten wir als bei Erzählung Gegenwärtige es Lüge nennen. Scheuerlein p. 66. „Eine Versetzung in den Hergang ist hier deshalb anzunehmen, weil der Optativ mit ἄν als Modus des Zutreffens und Werdens alles Gedachten seiner Natur nach in die Gegenwart des Sprechens gehört, nicht in die voraufliegende Zeit fallen kann.“

LATINA.

Cic. de Legg. I, 3. 8. quem (laborem) non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus ac liberum.

— de Nat. Deor. II, 3. 7. augures — ne ipsi quidem fabulas ascivissent, si res omnino repudiaret.

— Catil. II, 2. si depelli a nobis periculum iudicarem, iam pridem Catilinam sustulissem.

Magnam locorum e latinis scriptoribus excerptorum copiam repetiit Ramshornius in sua grammatica latina, p. 859 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf